

I. N. J.
DISSE^TRAT^O JURIDICA
^{D E}
BENEFICIO
INVENTARI^I,
^{QUAM}
DEO T. O. M. BENE JUVANTE
SUB PRÆSIDIO
VIRI NOBILISSIMI,
AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI
ATQUE EXCELLENTISSIMI
DOMINI
D. JOANNIS GEORGII
SCHERZII,
U. J. D. Ejusdemque Prof. Publ. Ord.
CAPITULI THOMANI CANONICI.
IN ALMA ARGENTINENSUM
UNIVERSITATE
SOLENNI EXAMINI SUBMITTET
FRANCISCUS MELCHIOR FISCHER,
OBERKIRCHENSIS, Auctor.
A. diem Martij, Anno M. DCC. XIX.
Hor. Locoq Solitis.
ARGENTORATI, Typis Viduæ Muchaëlis Storckii.

DEO
TER OPTIMO
MAXIMO,
PATRONIS
ATQUE
AMICIS.



Q. F. F. D. E. I.

INTER varia & insignia beneficia, quibus Imperator Justinianus diversis succurrit personis, maximum alias damnum passuris, non ultimum est illud, quo gaudere iubet heredem, qui, licet defuncti personam sustinere in Præf. Nov. XLVIII dicatur, & per consequens eiusdem Creditoribus respondere teneatur. vid. l. 8. π. de acquir. vel omitt. hered. & l. 10. C. de Jure Delib. non aliter tamen ipsis satisfacere ac debita solvere cogitur, quam in quantum vires hereditatis id ei permittunt, in casu, si in universa antecessoris sui bona, jura, & nomina tam activa (ut vocant,) quam

A 2

quam

quam passiva diligenter inquisivit, eaque omnia
debito modo & tempore annotari curavit, & hoc
Beneficium Inventarii communiter à Dd. voca-
tur; De quo cum animus nobis sit, pauca, que ve-
litationi Academica inservirent, ita differendi, ut
Questiones aliquot circa id obvenientes propona-
mus, easdemque ex legibus decidamus, non abs
re fore duximus, quadam de vocabulo Inventarii
in genere premittere.

Derivatur autem hac vox, decrescente demum
Latinitatis atate nota & seculo tertio non nisi à
vulgo recepta (ut ex l. 7. ff. de administrat. Tut.
videre est) à verbo Invenio, vel quod bona ali-
cujus ibidem designata inveniuntur, vel quod ea,
que apud aliquem inveniuntur, digesta in eo ac
conscripta videmus; ex qua ratione etiam majori
tamen secundum Ulpianum Jure, Repertorium
dicitur. Alibi, ut in Nov. LEONIS CX. Com-
mentarius Facultatum, appellatur; alibi Synopsis
bonorum, quia in eo quantitas bonorum conspi-
citur, conf. l. 5. § 11. ff. de Rebus eorum, qui sub
Tutela &c. ac idem est, quod Gracis ὀναργακή,
ab ὀναργακώ conscribo; quo nomine in l. 15. pr. ff.

de

de Rebus Autor. Judic. poss. insignitur. Ver-
nacula nostra Lingua vocem Latinam à longo jam
tempore sibi propriam fecit, adeo, ut in vulgus
notum, quid sit ein Inventarium. Hinc dicimus
quoque inventire / Inventir - Schreiber &c. Alia
Synonyma extra Corpus Juris Civilis occurrentia
ex Vofio recenset Lauterbach. Diss. de Hæredit.
Invent. hab. Tubing. A. 1650. th. iv.

Cum vero talis designatio rerum si non necessa-
ria, utilis tamen quam maxime sit in omni casu,
ubi vel administrationis rationem reddere, vel
quantitatem bonorum investigare volumus, per se
patet, plures & diversas dari Inventarii species.
Aliud enim est, quod Tutor per l. 5. §. II. ff. de
Rebus eorum, qui sub Tutel. &c. Aliud, quod
is, cui cura bonorum debitoris oborati demandata
est, confiscere jubetur.

In alium finem conscribitur ab Usufructuario,
à Fisco, in alium ab herede, in alium ab aliis.
Nobis hic sermo tantum erit de Solenniori Inven-
tario, ac eo, quo bona Hereditaria continentur;
quodque ideo Iuuentarium Hæreditatis, Germ.
Ein Erb-Register / Item ein Inventarium nachges-
lassener Erbschafft apud nostrates audit.

Est igitur Inventarium Hereditatis, Instrumentum ab herede, vel alio ejusdem nomine rite & legitime conscriptum, quo quantitas rerum hereditarum innotescat, & heros ab omni periculo, cui alias obnoxius esset liberetur. Hoc ultimum adiecimus, quia hic de Beneficio imprimis, quod confidentibus tale repertorium JUSTINIANUS concessit, agere constituimus, quamvis inficias ire nolimus, posse etiam Hereditatis Inventarium dari, quod heredi nullum aut leve saltem commodum tribuit, & ideo sub beneficii nomine venire minime potest; in eo nimirum casu, in quo Inventarii confessio per statuta heredi injungitur, & hic solennem protestationem ac declarationem, quod non nisi cum Beneficio Inventarii hereditatem adire velit, per negligentiam omittit.

Causa, qua Legislatorem forte impulerat, ut hoc privilegium impertiret iis, quibus liberum erat adire vel omittere hereditatem, hac videtur esse, quod prater Minores 25. annorum, omni, qui semel se pro herede gesit, postea facultatem abstinendi ab hereditate leges ademerant; v. l. s. & 6. C. de Repud. hereditat. iniquum autem videbatur,

batur, ut heredes maximas sapius erroris sui, quem nec prævidere, nec praecavere poterant, pœnas darent, solvendo nempe de suo Creditoribus omne id, quod hereditati deficit; Unde etiam factum, ut jam olim divus HADRIANUS illis heredibus, in quorum notitiam post aditam hereditatem grande as alienum antea latens pervenit, & GORDIANUS cunctis militibus, utpote qui arma potius quam Jura scire debebant, subveniret, & ab improvisis debitibus eos speciali gratia liberaret. v. §. 4. & sqq. Inst. de Hered. qual. & diff. & l. 21. Cod. de Jure deliberandi. Sed cum non una vice accideret, ut optimi quoque ac diligentissimi Patresfamilias, quos suorum etiam proprietorum bonorum quantitas in certis casibus latere poterat, alienam hereditatem vel cum summo periculo adire, vel cum ingenti detrimento omittere cogerentur, Imperator JUSTINIANUS eo beneficio, quod Prædecessores sui certis duntaxat personis indulserant, omnes heredes indistincte affectit, ita quidem, ut non tantum tempus illis concederet, intra quod expendere possent, utrum Hereditatem adire vel repudiare volint. l. fin. C. de Jur. deliberandi;

berandi; Sed & si aditionem elegerint, modum iis
praescriberet, quo sine ipsorum damno id efficere que-
ant, suadens nimirum hereditibus, ut accuratam
rerum hereditariarū designationem, scilicet Inventar-
tarium confiant, atque hujus beneficio contra cre-
ditores se se munit ac tueantur, quemadmo-
dum hoc ex allegatis textibus abunde constat.
Quia vero circa hoc idem Inventarii Beneficium
multiplices exoriri solent controversiae, earum
quasdam adjuvante DEO ex Legibus resolvendas
ac determinandas selegitimus. Sit itaque

Q U A E S T I O I.

*An, si Inventarium non effet intra triginta dies
cœptum, elapsis autem tribus mensibus finitum,
valeat, in eum effectum, ut heres ultra heredi-
tatis vires obligari nequeat?*

SUPRA in definiendo Beneficio Inventarii diximus, he-
redem, qui illo gaudere cupit, ad ejus confectionem
legitimo tempore & modo se accingere debere; per
quod innuimus, certas à Jure præscribi Solennitates ac re-
gulas, quas, quantum per ipsum stat, observare prudentis hé-
redis erit. Quod tempus attinet, expressis & sèpius repe-
titis

titis verbis *I. ult. C. de Jure deliberandi* requirit, ut Inventarium intra spatum unius mensis ex die, ex quo heres de successione sibi delata certior factus est, compundiandi inchoatum, ante elapsos 60. dies seu intra tres menses ex die habitæ notitia numerandos totum perficiatur. *vid. § 2 n. &c.*
d. L. fin. Et hæc obtainit, si heres in loco rerum hereditiarum præsens fuerit; nam si absenti talis successio obvenit, loco trium mensium, integer ipsi conceditur annus, qui tam non à die scientiæ, uti in præcedenti casu, sed à tempore mortis currere incipit. *conf. §. 3 seq.*

His non observatis negligens heres in solidum omnibus defuncti Creditoribus tenebitur, non aliter, ac si sine beneficio Inventarii ad successionem pervenisset. *Imperator enim,* quemadmodum probis & Jura sequentibus heredibus, quibus damnoſa forte conſertur hereditas, succurrere voluit, ne in solidum conveniri possint, ita quoque Creditoribus qui non minimo ſæpius periculo fefe expositos vident, deſſe noluit in eo caſu, ubi heres morosus iplis, quantum poterit, ſatisfacere detrectat. Sed quid si ſupponamus, heredem quendam non ex aſſe, sed ex parte Legi noſtræ morem geſſiſſe, inchoando nempe Inventarii confectionem post elapsos jam trīginta dies, perficiendo tamen illud intra tres menses à tempore notitia numerandos; Quæritur hinc, antale Inventarium valeat, & heredem à präſtatione nominum debitorum in solidum immunem reddat?

Pro Negativa facere videtur *I. Quod*, qui Legi in uno punctorum, quamvis non in omnibus, contrariatur, legem contempſſe nihilominus dici poſſit; quodque illi beneficio legis non perſuantur, qui contemnendam eam censuerunt;

B/

uti

ut ipsa verba finalia §. 12. d. l. C. de Jur. delib. habent. II.
 Quod in faciendo Inventario omnis subtilitas & perinde omnes à Jure requisitæ Solennitatem ac circumstantiam ad amissim & narratam legem observandam injungantur heredi in §. 14. l. alleg. III. Quod in omnibus iis negotiis, quibus Leges certum modum & solemnem formam ideo præscripserunt, ut eo magis fraudibus partium occurratur, defecus unius vel minimi requisiti totum actum vitiet. Prout hoc videmus in materia Testamentorum, ubi & unus testis non in specie ad testimonium perhibendum rogatus Testamenti omnibus alias requisitis muniti nullitatem causatur.

Verum affirmantium opinio nobis tamen magis arridet, quâ *Inventarium* præscripto licet tempore non inchoatum, intra terminos autem à lege datos finitum subsistere ac heredi commodo esse posse statuitur; ea præprimis ex ratione, quia ille tantum contra legem peccasse Imperatori dicitur, qui in præjudicium Creditorum *Inventarium* conficeret distulit, ita ut datum ad ejus perfectionem tempus jam effluxerit. Dum enim Legislator in eodem §. 12. in quo poena negligentie vel moræ dictatur, præsentibus heredibus absentes jungit; his vero in anteriori loco nullum certum tempus præfixum legitur, intra quod *Inventarium* inchoare tenerentur, non de termino à quo, sed de termino ad quem hic loqui, atque eam solummodo moram, quæ ratione consummationis committitur, punire voluisse censendus erit. Accedit, quod præsentibus trium à die notitiæ, absentibus vero duodecim à die mortui testatoris mensium spatium pro deliberatione sit concessum in §. 11. d. l. partim in heredis, partim in Creditorum favorem; sicut enim ille prius,

prius, quam de quantitate Hereditatis constet, conveniri aut inquietari nequit, ita & hi à moroso herede quamdiu ipsi placuerit, impediri non possunt, quo minus id quod suum est, persequantur; nunc autem in nostro casu ne minimum quidem damnum vel præjudicium Creditoribus per dilatam inchoationem inferri certum est. Evidem non nego, in d. l. §. 2. heredibus æque bene injungi terminum à quo per verba: *ut intra 30. dies, post quam sibi delatam successionem heres cognoverit,* quam terminum ad quem, sed dico paragrum illam ex consequentibus esse explicandam. Si enim ejusdem verba, prout hic jacent, essent sumenda, daretur casus, ubi heres qui intra primum mensem Inventarium cœpit, quique illud intra tres menses à die notitiæ computandos, finivit, legis Violator & Creditoribus obligatus in solidum haberi deberet. Fingamus nempe Aulum secundo statim post cognitionem sibi delatae hereditatis die Inventarii confectionem suscepisse ac inchoasse, intra alios autem sexaginta dies, quos eadem paragraphus sufficere voluit, non ad finem perduxisse sed demum octuagesimo die; quis unquam dixerit tale Inventarium Aulo nihil prodeesse?

Hinc patet primam, quæ in contrarium adducitur, rationem non sat firmo stare talo; & illum tantum, qui intra tres menses Inventarium quoconque etiam tempore cœptum non absolvit, huius legis violatorem ac contemptorem jure nominari posse. Quod alterum attinet argumentum ex §. 14. legis nostræ desumptum, ad id respondemus, ibidem non dici, quod error quilibet in levissimis & minimis commissus hereditineat, sed tantum ille, qui in modo designandi & conscribendi res hereditarias accidit. Et si largiremur etiam hanc

subtilitatem ad tempora præfixa esse extendendam, non tamen de quovis herede in textu nostro sermonē esse afferimus, verum de deliberante & eo herede, qui importunus potius petitio, quam gratus heres in oculis *JUSTINIANI* videbatur, ceu ex inspectione §. 13. & seq. appareret. Quod tertio loco Antagonistæ urgent de norma in negotiis exacte & anxie observanda; illud locum habere & Thesin nostram ferire concedimus, si ostendi possit, in casu, quem proposuimus, fraudem vel tale quid admitti, quod in detrimentum creditorum vergat; quin & in dubium quam maxime vocare possumus, debere nos semper à forma Testamentorum ad formam aliorum actuum argumentari.

Et hanc nostram Sententiam communi Doctorum Suffragio fulciri, statuentium, terminum inchoationis non peremptorium sed admonitorium esse, & sufficere Inventarium, licet tardius incepturn, intra tres menses esse perfectum testatur *MULLERUS* in *not.* ad *STRUW. Ex.* XXIII. §. 54. Posse tamen & hoc tempus pro ratione circumstantiarum præsertim in casu, ubi ampla & dispersa est hæreditas à Jūdice prorogari, nec Analogia Juris nec praxi hodiernæ adversatur. De qua vid. *CARPZ. P. III. c. 33. Def. 13.*

Q U A E S T I O II.

An Inventarium, in Creditorum absentia conscriptum, commodo ac beneficio esse posit heredi?

Ur Jure & legitime aliquid factum dici queat, non sufficit, intra tempora à superiorē definita esse consummatum

tum, sed requiritur etiam, ut fiat ea forma, ac iis, qui præscribuntur, modis. Unde est, ut, cum §. 2. l. fin. C. de Jure delib. habeatur : Inventarium fieri debere *sub presentia tabantulariorum ceterorumque, qui ad hujusmodi confectionem necessarii sunt*; hæcque verba communiter de omnibus iis, quorum interest, explicitur, videri possit, quæstionem propositam simpliciter esse negandam. Verum cum Imperator Justinianus postea in Nov. I. c. 2. mentem suam clarius expresserit, calculum nostrum illorum sententiae adjicimus, qui cum LAUTERBACHIO in cit. Diff. §. 14. distinguunt inter casum, ubi Creditorum, quorum intererat Inventario adesse, copia fieri potuit, ita ut in loco, quo consignatio rerum suscepta, degerent, & inter eum casum, ubi alibi morati sunt. Si prius, iterum videndum, an culpa heredis, an sua vel aliorum absuerint ab Inventarii confectione, id est: an postquam heres id, quod ipsi incumbebat, impleverit, eos nempe de delata sibi successione certiores reddendo & ad Inventarii confectionem invitando, illi emanserint; & ita valebit Inventarium etiam iis absentibus factum, exhibitis tamen in eorum locum tribus Testibus idoneis. An vero Creditores se se non stiterint ideo, quia illorum præsentia ab herede non fuit requisita, & tunc confectione Inventarii ipsis nil præjudicat, sed poterunt in solidum defuncti successorēm convenire. Si posterius, nempe si Creditores non in eadem, qua res hereditaria, inveniuntur civitate, ad indemnitatē heredis sufficit, exhibitos fuisse tres testes fide dignos, ac pro ratione nominum hereditariorum bona possidentes. Conf. §. 1. c. 2. Nov. I. Longe enim absentibus ut diem inchoandi Inventarii significet, atque corum adventum exspectet;

et, eo minus opus habet heres, quo magis allaborare debet per *l. f. C. de Jure delib.* ut intra præfixos ibidem terminos Inventarium conficiatur.

Sed regeret forte quis, non adeo bene à nobis statui, necessariam esse convocationem Creditorum eorum etiam, qui in eadem civitate habitant, ubi Inventarium conscribitur. Novellam potius i. nostræ assertioni contrariari, utpote cuius caput 2. mentionem tantum facit legatariorum & fideicommissariorum in desinendis iis personis, quæ ad confectionem Inventarii ab herede vocari debent; sub nomine autem vel legatariorum vel fideicommissariorum Creditores minime venire posse; valere itaque Inventarium etiam non accersitis Creditoribus in eadem civitate morantibus consecutum.

Verum respondemus, ex accurata inspectione textus in contrarium allegati, ejusdemque cum *Cap. 6. Nov. 119.* collatione apparere, verba, quæ præsentiam legatariorum & fideicommissariorum requirunt, non esse exclusive intelligenda. Licet enim expresse non precipiatur, ut heres Creditores convocat, eos tamen subaudiendos esse, regulæ bonaæ interpretationis volunt. Quid impedit, quo minus nobis à minori probabili, ad majus probabile, ut alias, ita & hic argumentari liceat hunc in modum? Si illi, qui lucrum sperant ex hereditate, neessario sunt adhibendi ad confectionem Inventarii, ne forte lucro, quod expectant per negligentiam vel fraudem heredis priventur, multo magis eorum præsentia requiritur, qui non tam de lucro captando, quam de damno vitando auxii sunt, cum indubitate Juris sit, hos majori favore ac commiseratione dignos esse

ac

ac illos. Accedit, quod ideo legatariorum & fideicommissariorum invitationem legislator heredi commendat, quia eos vereri ac metuere debet; hæc autem ratio quam maxime in Creditoribus quoque locum habeat. Quod vero Creditores legatariis ac fideicommissariis junctos in *d. Nov.* non legamus, id factum videtur, quia Domitianam quæstionem decidere, superfluum judicavit *JUSTINIANUS*, qui id tantum in *d. Nov.* definire voluit, de quo cum majori ratione dubitare quis poterat.

Imo cum necessitas convocandi Creditores in Casu *Nov.* *CXIX. c. 6.* minoribus, quorum favor in Jure nostro maximus est, injungatur eum in finem, ne Creditores id, quod suum est, consequi impedianter, multo credibilius erit, alios quoque heredes vel personas minus favorabiles hoc officio fungi debere. *Conf. Sichard. in Prelect. ad Cod. ad §. 2. l. f. C. de Jur. del.*

De hodierna praxi *MEVIUS in Decis. CCCLVI. n. 22.* notat, quod secundum illam vocatio Creditorum ad formam & substantiam Inventarii non requiratur, utpote quæ supervacua videtur & maxime difficilis; plura enim remedia adversus fraudem vel incuriam heredis in *C. ult. C. de Jure del. §. 10.* reperiri Creditoribus tradita; nec prudentissimi licet heredis virium semper est, nosse omnes personas, quibus defunctus antecessor obligatus fuerat. Subsistere hinc juxta mores hodiernos idc *num. 5. Decis. CCCLVII.* concludit, Inventarium sine præmissa Creditorum vocatione confectum, modo postea heres citatis & auditis super eo, quorum maxime interest, ejusdem copiam Creditoribus facere possit. Sciendum tamen, ut multis aliis in casibus fit, ita & hic
in

in Praxi non ubique idem observari. Videatur *Chorier dans sa Juris prudence de Guy Pape p. 206.* ubi resert Parliamentum Gratianopolitanum decidisse, quod ob defectum citationis Creditorum, quoad non vocas heres Beneficio Inventarii non gaudeat.

Q U A E S T I O III.

An Heres, cui Testator Inventarii confectionem prohibuit, eo omisso Creditoribus in solidum tenetur.

QUI à negantium partibus stare malunt, pro se allegant favorem, quem Jura nostra heredi in pluribus casibus exhibent singularem, ut eo minus Testamenta corruant, illique, qui in eis instituti sunt ad adeundam hereditatem invitentur. Quamobrem etiam diversis legibus sancitum reperimus ea, quæ directo ad defraudandum heredem tendunt, subsistere non posse; uti hoc ceu ex aliis ita etiam ex eo clarum est, quod Testator Legatario cautionē usufructuariam remittere non possit, sed non obstante defuncti voluntate, talis Usufructuarius heredi caverre jubeatur per l. 6. ff. *ut in possēss. legat. serv. l. 1. c. de usūfr. l. 7. c. ut in possēss. legat.* Unde à contrario argumentantur, Testatorem posse ea, quæ ad honorandum & sublevandum heredem faciunt valide constituere, eique onera, quibus alias obnoxius esset, & per consequens etiam Inventarii confectionem remittere. Pro secundo inferunt, quod in *l. f. C. de Jur. delib. Imperator*

tor *JUSTINIANUS* eos tantum puniri ac insolidum teneri voluerit heredes, qui doli vel negligentiae alicujus se reos reddiderunt; verba enim finalia §. 12. expresse habent, illos beneficio legis frui non debere, qui contemnendam eam censuerunt. Nunc autem heredem in nostro casu nec dolose nec culpose, nec quia Jura spernit, sed, ut heredis Officium, quod in observanda voluntate Testatoris consistit, implere videatur, Inventarium omittere, certum est.

3º. Quod cuilibet liberum sit, favori pro se introducto renunciare, ex Novella autem i. pateat, Inventarii confessio nem in commodum defuncti esse introduc tam. 4º. Quod Testator etiam in præjudicium tertii heredi remittere possit Inventarii confessionem juxta communem plurimorum celeberrimorum Doctorum Sententiam, quos allegatos vide apud *STRYCK in Diff. de Remiss. Inventarij. Cap. III. n. 12.* Ita 5º Remissio Inventarii à Testatore facta Turori, ex qua tamen pupilli gravissimum sibi incurruunt damnum, valet per l. f. §. 1. C. de arbitr. Tut. hinc concludunt: Si Remissio Inventarii, quæ tamen maximum potest gignere detrimentum iis personis, quas singulare præ omnibus aliis favore Jura nostra complectuntur, valet; quid ni liceat etiam omittere Inventarium in eo casu, ubi Creditoribus forte ex eo nasci posset præjudicium, utpote qui multo minori benevolentia digni censemur ac pupilli.

Verum enim vero omnes hæ anteallegatae rationes non obstant, quo minus in contrarias abeamus partes, corumque defendamus opinionem, qui statuunt, heredem, cui Inventarii Confessio à Testatore fuit inhibita, si voluntati defuncti in eo omittendo pareat, in solidum Creditoribus teneri. Quamvis enim herendum aliquis in Jure nostro sit favor, tantum tamen non esse, ut vel in cuiusvis alius præjudicium quid facere aut statuere valeat sine speciali le-

gum concessione , vela testatore nullo plane onere ipse gravari possit , nemo certe in dubium vocabit . Quod altero loco assertur ; illum nempe heredem duntaxat beneficio legis s. C de Jure delib . indignum esse , qui Jurium contemptor haberi potest , non qui voluntatem Testatoris exequitur . ad hoc regerimus , cum certissimi Juris sit , neminem in Testamento cavere posse , ne leges in illo locum habeant , cumque nullus Testator etiam circa minima Juri derogate queat per l. 55. ff. de Legat. i. & l. 5. §. 7. ff. de administr. Tut. clarissime inde apparere , inhibitionem Inventarii à Testatore contra l. utr. C. de Jure delib. factam pro nulla ac non valida esse habendam , & per consequens heredem , qui Testatoris contra legem aliquid statuens voluntatem sequitur , hoc ipso pro legis contemptore esse reputandum . Imo , si daremus etiam hoc adversariis , posse nimis Testatorem impedire confectionem Inventarii , nihil certe aliud ex inde fluet , quam quod defunctus , qui heredem beneficio Inventarii à lege munitum scivit , & nihilominus tamen confectionem Inventarii vetuit , hoc ipso demonstraverit , sibi placere , ut heres suus Creditoribus exesse satisfaciat , ac favore a legibus ipsi concessio non fruatur . ita ut hæc quæ in contrarium allegata fuere ad nostram sententia tuendam quam maxime faciant . Ejusdem quoque generis ac momenti est tertia , quam pro se allegant , ratio ; hoc ipso enim dum defunctum favori suo renunciasset afferunt , concedant quoque necesse est , hanc renunciationem heredi nocere , ita , ut totum æ alienum solvere teneatur ; in hoc etenim consistit favor confecti Inventarii , ne heres ultra vires hereditatis Creditoribus obligetur .

Ad quartum Argumentum à simili desumptum respondemus , distinguendo inter Remissionem factam in præjudicium suum aut tertii , qui lucrativam causam à Testatore habet ,


bet, & inter Remissionem factam in præjudicium terrii, cui
 defunctus jam antea efficaciter fuit obligatus. In illo casu
 valebit; in hoc vero nihil heredi proderit Remissio vel in-
 habitio. Si ergo confectionem prohibuit Testator solum-
 modo in præjudicium Legatariorum impune eam heres lo-
 mittet; quoniam enim testator talibus personis nullatenus
 obstrictus fuit, sed ex sola animi liberalitate aliquid ex he-
 reditate legavit, injuriam iis ac præjudicium intulisse eo
 minus dicendum erit; quo certius est, summo quoque
 Jure plane nihil ipsis relinquere potuisse Testatorem.
 Quoties vero in alterius, quam ipsius defuncti eorumve,
 qui ab eo lucrativam causam habent, favorem designatione
 rerum hereditiarum solennis lege jubente est conficienda,
 toties inhiberi non potest, aut si inhibeatur, heres nihilo-
 minus Inventarium conscribi curet, nisi in solidum Credito-
 ribus teneri velit. Quam Regulam ex HILLIG Donell. Enn,
 cleat, tradit STRYCK in Diff. supra cit. n. 10. Quintæ & ultimæ
 rationi reponimus, nullam esse argumentationem à Remis-
 sione Inventarii Tutori factâ ad Remissionem Inventarii,
 quæ sit in præjudicium Creditorum; speciales enim adsunt
 causa, quæ Legislatorem ad tradendam Patri hanc remit-
 tendi Inventarii potestatem impulerunt, quæque in nostro
 casu locum habere non possunt. Inter has à Doctoribus
 1°. refertur, quod pietas Paterni nominis optimum pro libe-
 ris consilium capere præsumatur, in l. 22. §. 4. ff. ad L. Jul.
 de adulr. l. 2, 2°. quod per Inventarii confectionem secreta
 patrimonii & suspectum æs alienum non prodi multum in-
 terstit pupilli vid. l. 2. C. de alim. pupillo praef. 3.° Quid
 durius atque inhumanius nihil videatur. l. 2 pr. C. quando &
 quibus quarta &c. quam publicatione rerum familia ium aut
 paupertatis detegi vilitatem, aut invidiæ exponere divitias.
 Unde videre est, Leges, quæ Parenti permitunt, ut in Tu-
 torem,

torem in Testamento datum à confectione Inventarii eximiat, præsupponere casum, ubi Inventarium probosum magis ac damnosum Pupillo esset, quam utile. Si enim Prætor videret, ex remissione Inventarii res pupillares detrimen-tum forte esse capturas, illum ex officio posse Tutori non obstante Testatoris remissione, confectionem Inventarii in-jingere communiter nec male statuitur. Ex quibus omnibus demum concludimus, Remissionem sive Prohibitionem Inventarii factam in prejudicium vel pupilli vel Creditorum nullum effectum habere posse, nec heredem ab ejusdem confectione esse immunem, qui beneficio *l. ult. C. de Jure delib.* gaudere cupit.

Et hanc nostram assertionem Praxis plurium in Germania locorum corroborat, imprimis eorum, ubi ob interesse publicum Inventarii confeccio necessario incumbit cuiilibet heredi, ita quidem, ut non obstante quacunque prohi-bitione Testatorum Inventarium sit conficiendum in eo etiam casu, nbi heres ultra vires hereditatis obligari non de-trectat. Sic apud Argentoratenses jam à longo tempore usu frequentissimo receptum, ut in omni adeunda hereditatis casu requiratur solennis Inventarii confeccio, per quod constet de cuiusq; defuncti patrimonio, an in censu agendo, quem **Stall-Geld** appellant & fideliter bona fuerint indicata. *vid. BRAUN. in MSC. de arte Notariatus P. II. p. 37. & P. I. p. 361.* Et hoc ampliatur, etiam si jam ad adsit designatio bonorum à defuncto relicta. Ex quo porro infertur hetedem beneficio *legis ult. C. de Jure del.* uti non posse, nisi expresse declarave-rit, se aliter teneri non velle quam in id, quod vires heredi-tatis permittent. *vid. Jll. Schilter. Consil. Argent.*

Responf. 133. 174. & 197.

F I N I S.



Straßburg, Diss., 1716-18

ULB Halle
005 360 048

3



Farbkarte #13

	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9

	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19

B.I.G.

I. N. J.
DISSE
TATI
O JURIDICA
DE
**BENEFICIO
INVENTARII,**
DEO T. O. M. ^{QUAM} BENE JUVANTE
SUB PRÆSIDIO
**VIRI NOBILISSIMI,
AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI
ATQUE EXCELLENTISSIMI**
DOMINI
**D. JOANNIS GEORGII
SCHERZII,**
U. J. D. Ejusdemque Prof. Publ. Ord.
CAPITULI THOMANI CANONICI.
IN ALMA ARGENTINENSUM
UNIVERSITATE
SOLENNI EXAMINI SUBMITTET
FRANCISCUS MELCHIOR FISCHER,
OBERKIRCHENSIS, Auctor.
A. diem Martij, Anno M. DCC. XIX.
Hor. Locoq Solitis.
ARGENTORATI, Typis Viduae Michaëlis Storckii.